64.

ANGLIA REDIVIVA.

POEMA.

Authore EDMUNDO ELISIO, A. M.
Coll. Bal. apud Oxonienses *quondam Socio.*

ODI profanum vulgus, & arceo. *Hor.*

OXON:
Excudebat H. Hall. *An. Dom.* 1662.

CARMEN HEROICUM.

Authore EDMUNDO ELYS, A. M.
Coll. Trin. apud Oxonienses quondam Socio.

ODI profanum vulgus, & arceo. Hor.

OXONII:
Excudebat H. Hall. Ann. Dom. 1682.

ANGLIA REDIVIVA.

NON Tonitru *levior resonet Vox ulla Dolores*
Præteritos; Animos vel quæ funduntur in imos
Gaudia. Lætitia hæc nunquam se fecerit Orbi
Notam: nî Plausu *pariter* Tria Regna *Sonabunt.*
Larga per emissos se spargunt Gaudia Luctus:
Sic auget Flammas, dum victa est Ignibus Vnda.
Spiritus in Risum, *&* Plausum *se fundit Ovantem,*
Quem dabat in Gemitus, mæsta & Suspiria *Pectus.*
Defecêre Animi Nobis Spectantibus (eheu!)
Sese jactantes fælici Marte Rebelles.
Quàm Doluit Nobis Sceleratos Dicier omnes,
Quos sibi non jungi Socios Gens Perfida *vidit,*
Dum Nemo Imperium, Vim *totam Vulgus habebat?*
Quàm Doluit Nobis Horrendi Semine Natos
CROMVVELLI, REGIS *qui tinxit Sanguine Dextram,*
Huc, illuc Populum jussis agitare superbis;
Tantùm Illos, Similésque Illis Pietatis haberi
Cultores: ac si Vestes nunc induat istas
DÆMON, *Quêis quondam Claro splendebat Olympo:*
Et Discat Balare, *Hic qui Rugire solebat?*
At tandem Scelerum Artifices *Infamia Viles*

Reddidit: ac ſubitò nunc Deturbantur ab iiſdem
Quêis (miranda cano) vel nunc Tolluntur in Altum:
Et Qui Laudabant, graviora Opprobria jactant.
En Ultrix DOMINI *Bellantis Dextra Rebelles!*
Nunc Ubi CROMWELLI Laurus *Victoriis in Atros*
Vertuntur Cineres: Urnâ conduntur eâdem
Quâ Conſumpta jacent infandi Membra Tyranni.
Sed priùs Has Laurus *Fecit* DEUS *Ille Flagellum,*
Cujus Vindicta eſt, quo Vapulat utraque Proles
Defuncti SCELERIS: *nam* Magni Nominis Umbra
Hos ideo Attollit, Caſu ut graviore *Relapſos*
Major deprimeret Miſeros Infamia. *Tandem*
CROMWELLI *Nomen* Projectâ eſt Vilius Algâ.
Et qui Diripiunt Iſtos à Sedibus altis,
In ſeſe excipiunt, Caſuque premuntur eorum:
Supra alios aliique Ruunt, Temeraria Turba.
Hic adeo Lapſis, ſubitò ſe Tollit in Altum
Arte Potens, *& Marte* Valens, *Fortiſſimus Heros*
MONCUS: *ad Excelſum Venienti Culmen Honoris*
Non opus eſt Armis. NOMEN Tria Regna *Subegit.*
Accepto Imperio, Vult Heros Subditus eſſe:
Qui Potuit Solus, Seſe Facit Ille Minorem.
Huc Illum nunc Fata vocant, ut SUBDITUS *eſſe*
OPTIMUS *Hic poſſit, Vel* REGUM PESSIMUS *Idem.*
Huic, Sibi dum Minuit Vires, *ſic* Gloria *Creſcit:*
Dat CŒLUM CAROLO, MONCUS *Fert Ille Coronam.*
Ecce, CORONATUS CAROLUS. *Nunc Plaudite. Poſthac*
MAIUS *erunt* Toti *Lætans, & Floridus* Anni.
Nunc Hilares certè peragemus Tempora. Vera
Regnat MAIESTAS: *Oculis quæ cuncta fugavit*

Sanctula

Sanctula Dæmonia. *Hæc quondam eſt audita Querela*
Artifices Scelerum *Speciem* Probitatis *habere.*
At nunc exoritur Tenebris Aurora *fugatis:*
Crimina nunc proprio Cernuntur Dira Colore:
Sanctula *Turba abiit, quæ* Nigra in Candida *vertit:*
Scilicet Hi Lemures ſic Ortâ Luce recedunt.
O utinam quorum Improbitas horrenda fefellit
Ignarum quondam Virtutis Imagine Vulgus,
Dum ſe continuo Succeſſu Proſpera *jactat,*
Jam nunc Aſpicerent Quantum Divina Poteſtas
Huic tulit Auxilium, Cui (Plebs Scelerata!) *repugnant.*
Quæ fecit Miranda DEUS, *quò Vinceret Ille*
CAROLUS *Has Gentes, nec ſumeret* Arma, *Rebelles:*
Mortales Sileant, Reſonet Vox Cœlica. *Certè*
Angelus *Omnis eam, quam Cœli* GLORIA *Laudem.*
Poſcit ob Hoc Factum, Summo Canit Altus Olympo.
Fervida Noſtra utinam Præcordia Numinis Amplas
Conciperent, nequeunt, quas Voces Promere Laudes,
Quòd Non-Sanguineâ REGIS *jam Tempora Lauru*
Cinxerit. En ſiccis Volitat Victoria pennis,
Dum Superata ſimul præbent Tria Regna Trophæa:
Quæ Sibi Subjecit, quò Libertate fruantur
CAROLUS: *Ille Jugum frangit, quod dira Tyrannis*
Nobis impoſuit: nam quæ RESPUBLICA *nuper*
Faſces arripuit, quid erat niſi Sæva Furentis
Vis Populi? nam Dira ſtabat pro Lege Libido.
Hæc Ægyptiaco gravior Triſtiſſima Peſtis
Servitio, Fœci Plebis Servire Nefandæ:
Bellua Multorum Capitum *vacua iſta Cerebro eſt;*
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Virg.

Recta Gubernandi fieret quæ Formula, quique
Dictant Scriptores: operâ quasi conflet eâdem
Fortiter hùc illuc Magnas devolvere Gentes
Ac puras liquidâ nigredine spargere Chartas.
HEUSONUS, *Nebulo infamis, Cui* Calceus *olim*
Victum præbebat, nunc Regni flectere habenas
Optat: & Armatus poscit sibi quisque superbi
Imperii Partem: nimirùm Regulus esse
Quisque velit Pauper: *Sperat Furiosa Caterva*
Qui Gladiis *quondam nunc Victum acquirere* Sceptris.
At nunc præterita est hæc Ætas Turbida: et ipsa
Exutit Armatos, nec tentat Bella, Tyrannos
ANGLIA: *Tres Gentes, en, nunc Superavit Inermis*
CAROLUS: *En, voluit Numen, subitóque peracta est*
Res, optata diu, cùm spes exhauserit omnes.

QUando Animi Vis Magna Tui, Clarissime Princeps
Talia Perpessi, toto narratur in Orbe:
Hos Animi Motus, queîs exercere repressos
Sors Adversa solet, Nos te componere Cæsar
Novimus: et Vultum semper geris ipse Serenum
Cor licet ingenti Curarum Fluctuet Æstu;
Scilicet haud Totam lacerant Fata aspera Mentem,
Sed Pars Alta Malis Lætans se jactat in ipsis:
Quando adeo Eximium nobis dant Numina Regem,
Obsequium Cœlo, *&* Carolo *præstamus Ovantes.*
Laus Æterna Deo: *namque audiit Ille Gementes*
Nec dedignatur Lauru mutare Cupressos.
Adventu Rex *Magne Tuo sic Gaudia turgent:*

Sic

Sic remanent Luctus, quos longa Abſentia nobis
Impreſſit, larga ut Lachrymarum Flumina Gentes
Totas, ecce, rigent: & ſic Brittannia PATRIS
Sanguine Fœda TUI *gaudet ſeſe ipſa Lavari.*
Scilicet ingenti reminiſcitur anxia Luctu
Occiſum CAROLUM *dum ſic Tibi* CAROLE *Plaudit.*
Fœlix Ille quidem Magno Fata horrida vincit
Pectore: victrici Cœſus de Morte Triumphat.
Accipit Æternam victrix Patientia Palmam:
At ſubitò, quamcunque dedit Sors Proſpera, Laurus
Marceſſit. IESU *Similis* REX *ſcandit Olympum,*
Cum Vitam triſtem, & Lethum ſit Paſſus acerbum.
Sors Tua ſit Patris Sorti Contraria: at Ipſe
Clari adeo optamus premeres veſtigia Patris
REGIS REX, CAROLI CAROLUS: *Tu Maxima Summi*
Scripta Viri Peragas: Nova Tu ſis REGIA IMAGO
Laudibus Ipſe Tuas ſic addas uſque Paternis:
Hinc cùm migrabis, Tibi reddant Aſtra CORONAM.

FINIS.